

und ihn als Suffragan der Kirche von Mailand unterworfen habe (f. 76). 1175 — —.

Alexander episcopus servus servorum dei dilectis filiis consulibus et universo clero et populo Alexandrie salutem etc.

Sacrosancte Romane ecclesie celesti privilegio sibi collato semper licuit semperque licebit episcopales sedes divisas coniungere et coniunctas pro temporis necessitate dividere et in illis locis, in quibus nunquam episcopatus fuisse noscuntur, exigente et necessitate et utilitate, (f. 76^v) episcopos ordinare. Sanctum enim Sardicense concilium statuit non passim episcopum ordinari, nisi aut in civitatibus, que episcopos habuerunt, aut que tam populoze sunt, ut episcopum habere mereantur. Inde est, quod cognito vestro desiderio, quod nobis saepe aperuistis totis affectibus exorantes, ut civitatem vestram pontificali dignitate decoraremus, ne defectum ecclesiasticorum sacramentorum sustineretis, recepta quoque instantissima petitione venerabilis fratris nostri Galdini archiepiscopi apostolice sedis legati et consulum Mediolanensium necnon etiam rectorum Lombardie et Marchie, post habitam multam deliberationem de communi fratrum nostrorum consilio ecclesiam et civitatem vestram, que in honore beati Petri et ad profectum et exaltationem totius Lombardie edificata est, pontificali dignitate decoramus et dilecto filio Arduino subdiacono nostro, quem utique moribus et sanguine nobilem et litterarum¹ scientia decoratum vobis in episcopum et pastorem concessimus, et successoribus eius ius episcopale in omnibus ecclesiis et capellis castrorum et villarum, quarum habitatores ad habitandum in civitate vestra venerant, cuiuscumque hactenus fuerint, et nominatim Quernenti², Soloris³, Burgalii⁴, Nulliusfori⁵, Robenti⁶, Marengi et Gamundi⁷, quorum habitatores Alexandriam inhabitare tenentur, perpetuo tradimus concedimus et auctoritate apostolica confirmamus. Statuentes, ut cuncti clerici et laici omnium predictorum locorum ei obediant et de decimis et de omni pontificali iure tamquam proprio pastori respondeant, sicut solebant episcopis suis respondere, ita quod laici decimas non debeant ulterius in feodo vel alio titulo possidere. Prohibemus etiam, ne clerici extra Alexandriam in aliquo supradictorum locorum, donec persecutio Frederici dicti imperatoris duraverit, missas vel divinas sepulturas baptismum vel alia divina officia celebrare presumant. Preterea plebem de Masio cum omnibus pertinentiis suis, plebem de Ponto cum

1) cod.: 'litteratum'. 2) Heute Quargnento. 3) Heute Solero, in J.-L. 13686 von 1180 Juli 18 (Ughelli, Italia sacra IV², 316), wo einige dieser Ortsnamen gleichfalls aufgezählt werden, Solerii. 4) Ugh.: Bergolio. 5) cod.: Nuff fori; Ugh.: S. Augustinus de Foro, vielleicht vico del Foro. [Ob zu lesen: ville Fori? H. B.] 6) Ugh.: S. Andreas de Rovereto. 7) Ugh.: S. Mariae de Gamundio.